

DE UNDECIMVIRIS ATHENIENSIVM.

ANTIQUITATIS disciplinam qui nostra potissimum aetate recte tractare voluerunt, ut in illustrandis veterum scriptorum monumentis non in minutis quaestiunculis solvendis, in syllabis ac literarum fere apicibus conquirendis, in erroribus denique librariorum redarguendis, quamquam haec quoque studia suum habent honorem suamque dignitatem, subsistendum esse crediderunt, ita, qui tradendae Graecorum Romanorumque historiae provinciam susceperunt, non satis habuerunt, ieiuna rerum terra marique gestarum enarratione audientium animos fatigare, aut mera annorum enumeratione memoriam implere, sed in eo inprimis operam suam collocare coeperunt, ut docerent, qualis esset interior rerum publicarum status atque conditio, quae vitae domesticae consuetudo, qui sacrorum ritus, quae rei militaris ratio atque disciplina, qui vectigalium percipiendorum modus, quae denique iuris legumque constitutio. Quo factum est, ut recentioribus inprimis temporibus, quibus scholae plura et graviora sibi vindicaverunt, ii, qui veteris historiae docendae munus per se gratissimum et iucundissimum susceperunt, aut in interpretandis antiquis scriptoribus operam collocaverunt, querantur, quod, quum doctissimorum virorum studio et labore fines, quibus antiquitas ad nostram usque aetatem circumscripta est, in dies proferantur et amplificentur, tempus vix suppetat tot tantisque rebus non dico explicandis et expediendis, sed enarrandis et recensendis. Quum vero nonnulla ex iis ita comparata sint, ut vix iis supersedere possit, qui interiorum aliquam cum antiquorum populorum vita et moribus contrahere cupiat cognitionem, multa subsecivis horis relinquenda et in otium beatius transmittenda sunt. Non male igitur ii mihi facere videntur, qui ex hac ingenti antiquitatis copia unam alteramve particulam data opportunitate depromere et uberius de ea coram discipulis exponere suscipiunt. Quos enim diligentius oportet docere praeceptores, quos frequentius alloqui, quos denique omni eruditionis, quae ad humanitatem pertinet, genere instruere et quasi armare, quam discipulos suos? Quod igitur praeceuntibus doctissimis viris, qui de iure Attico scripserunt, equidem, quum Gymnasii nostri solemnia hoc quoque anno rite celebranda indicere muneris mei ratione et auctoritate iussus essem, de Undecimviris apud Athenienses disserere statui, hoc non eo consilio fecisse mihi videor, quo mea eaque nova et prorsus inaudita proferrem, sed quo ea, quae ab eruditis viris explorata et extra omnem dubitationem sunt posita, cum discipulis,

quorum necessitatibus subveniendum esse arbitrabar, communicarem. *) At quum iam in campum apertum excurrere et altum petere coepissem, iusto serius videbam maioris ambitus hoc opus futurum esse, quam ut intra angustiores libelli scholastici fines confectum et absolutum iri possem sperare. Iam igitur velis contractis brevitati studendum fuit.

Continetur omnis de Undecimviris disquisitio duobus potissimum capitibus, quorum alterum quae carceris, victorum, capitis damnatorum cura iis commissa fuerit, demonstrare, alterum de eorum iurisdictione agere debet. De utroque separatim dicendum est.

Munus Undecimvirorum apud Athenienses duplex fuit. Ut enim cura iis mandata erat omnium eorum, qui in vincula publica coniecti erant, ita certam quandam iudicandi, puniendi, accusandi vim et auctoritatem habebant. Quamquam enim magistratum, qui in civitate esse possunt, duo sint genera, alterum eorum, quorum est videre, ut iudicum sententiis reliquorumque magistratum imperiis obtemperetur, quos ἀρχὰς φυλαττούσας Aristoteles nominat, alterum eorum, qui non solum vigilando et custodiendo, sed agendo et laborando reipublicae prodesse cupiunt, quos ἀρχὰς πρακτομένας idem Aristoteles dicit, neque utrumque munus in uno eodemque homine recte coniungi posse videatur, tamen Undecimviros, ut omnes fere Atheniensium magistratus duplici huic muneri praefuisse invenimus. Sunt fortasse in nostra aetate, qui hoc minus bene institutum esse censeant. Nolunt enim eosdem viros et ius dicere et videre, ut ea fiant, quae iudices iusserint. At ii cogitent, longe aliam fuisse veterum rerum publicarum rationem ac nostrarum. Athenienses enim, quum certos eosque paucos homines, qui scientiam causarum agendarum litiumque dirimendarum ad artis cuiusdam normam redegerint, iudices esse nollent, quippe quibus non solum iudicandi potestatem, verum etiam totius reipublicae curam tradiderunt 2), quam plurimos, non sexcentos, ut dicunt, homines, sed sexies mille, interdum etiam, ut in εἰσαγγελίαις, universum populum ad suffragia ferenda convocaverunt. 3) Unde apud Aristophanem Strepsiades, quum in tabula geographica Athenas quaereret in easque digito incideret, miratur, qui istae sint Athenae, quum iudices non videat. 4) Lucianus vero

1) Disputaverunt de Atheniensium Undecimviris post BUDAËUM Comment. L. Gr. p. 252. UBBONEM EMMIUM de Republica Atheniensium c. 10. in Gronov. Thes. T. V. p. 1332 sq. et CAROLUM SIGONIUM de Republica Atheniensium in Gronov. Thes. T. VI. p. 2692 sq. SLUITERUS in Lectionibus Andocideis Lugduni a. 1804. editis p. 254. ULRICUS in commentatione Dialogis Platon. Menon. Criton. Alcibiad. I et II in linguam vernaculam (Berolini 1821) translatis annexa. Passim de iis egerunt MEIERUS et SCHÖMANNUS in Doctrina actionum forensium apud Athenienses, Halis 1824. MEIERUS in Historia iuris attici de bonis damnatorum, Berolini a. 1819. in lucem emissa, HUDTWALKERUS de diaeteticis (Jenae, 1812.) MATTHIAE de iudiciis Atheniensium in Miscellan. philoll. Vol. I. p. 249 sq. TITTMANNUS in libro suo: Darstellung griechischer Staatsverfassungen, Lips. 1822. et HEFFTERUS in libro: die athenäische Gerichtsverfassung inscripto atque Coloniae a. 1822. edito.

2) Cf. de summa iudicum apud Athenienses auctoritate Heffter. l. l. p. 11 sq.

3) Vid. de hoc εἰσαγγελιῶν genere et de νόμῳ εἰσαγγελτικῷ Meier. et Schöm. p. 265 sq.

4) Aristoph. Nubb. 207.

plurimarum gentium mores et consuetudines recensens fingit se videre Getas belligerantes, Scythas in plaustris suis viventes, Aegyptios agros colentes, Phoenices peregrinantes, Cilices praedantes, Lacedaemonios virgis iuvenum corpora lacerantes, Athenienses vero in iudiciis sedentes. ⁵⁾

Primum Undecimviris data erat carceris et victorum cura. Dicuntur enim apud Heraclid. Pont. de Politiis p. 4. ed. Koeler., Suid. v. *ένδεκα* et Pollucem VIII, 102. *οί επιμελούμενοι τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ*, quibus add. Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1103.: *ἐτήρουν οὕτοι τοὺς δεδεμένους*. Quanto pluris vero Athenienses fecerunt, si quis carcere includebatur, tanto maior esse debebat eorum auctoritas, penes quos respublica carceris custodiam esse voluit. Atque iam ex iureiurando, quod Senatores, antequam munus inibant, facere solebant, patet, quantum malum ipsi Athenienses iudicaverint, libertate sua aliquem privare. Iurabant enim se nullos in custodiam missuros esse, nisi qui novarum rerum studiosi civitatem evertere conarentur, aut qui, quum publicani essent, pecunias rei publicae debitas solvere nollent, aut denique qui tres sui sponsores haberent. ⁶⁾ Accedit, quod apud Athenienses non minus, quam apud Romanos, cives ipsis legibus iuebantur, non semper ad iudiciorum auctoritatem confugere, sed interdum a suis manibus suisque viribus auxilium petere. Notum enim est Romanorum *ubi rem meam invenio, ibi vindico*: ⁷⁾ apud Athenienses vero non solum rem pignoris iure acceptam vel iudicium sententiis addictam sua manu alteri eripere fas erat, quod *ἐμβατεύειν* vocabant, ⁸⁾ sed etiam cives a privatis hominibus in publicam custodiam dari quodammodo per leges licebat. Quo facilius vero homines perniciosi potestate a legibus data male utebantur, eo maior diligentia virorum, quibus victi tradebantur, fuerit necesse est. Quantumvis enim summum bonum libertatem esse dicebant cum omnes veteres, tum inprimis Athenienses: si civitas in discrimen adducta erat, non dubitabant, quum singuli cives se vindices et defensores omnium esse intelligerent, unius vinculis universam rempublicam servare. Nihilominus, qui de Undecimvirorum munere iudicare volunt, id praecipue teneant, tantum abfuisse, ut, qui in carcere versarentur, omnes homines nefarii et scelerati capitivae damnati essent, ut multo plurimi eorum aut iudicium suffragiis reservarentur, de quorum crimine igitur nondum certi aliquid constabat, aut, quum nullum crimen commisissent, in carcere tamdiu retinerentur, dum facerent, quae facere iussi essent. Plurimi, ut exempla addamus, ex eorum genere erant, qui rationibus pecuniarum publice a civitate acceptarum redditus, non in vincula coniciebantur, si forte Euthynae pecuniam debitam ab illis nullo modo exigere poterant, quod *εἰσπράττειν τοὺς ἔχοντας* dicebatur, et in carcere

5) Icaromenipp. c. 16. T. II. p. 771. T. VII. p. 24 sq. Bip. Adde de hac Atheniensium φιλοθετικῆ Aristoph. Equit. 1313. Xenoph. de rep. Atheniens. 3, 2. Mem. III. 5, 16. Serv. ad Virg. Aen. VI. 848. Alia collegit Taylorus ad Aesch. in Ctesiph. T. III. p. 402. Reisk. et in Lect. Lysiac. cap. I. p. 222. Reisk.

6) Dem. adv. Timocr. p. 745, 12.

7) Dig. VI. 1. cf. Ballhornii librum: *Philologisch-juristische Studien*, T. I. p. 162 sq.

8) Heffter. p. 268, 11. Hudtwalker. p. 139. n. 83.

custodiebantur, donec solverent, nisi fraus quaedam dolusve malus (*κλοπή*) accederet.⁹⁾ Nam cum hac de causa Miltiadem quoque in vinculis mortuum esse sciamus¹⁰⁾ tum hoc facile ex ipsis legum verbis colligimus, *δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ*, quae saepius leguntur. Vid. Dem. c. Mid. 529, 26. R. *ἐὰν δὲ ἀργυρίον τιμηθῆ τῆς ὑβρεως, δεδέσθω, ἐὰν ἐλεύθερον ἄβρῶσῃ μέχρις ἂν ἐκτίσῃ*. cf. Lambini observ. in edit. Buttm. §. 14. Eadem fere verba sunt in lege apud Aesch. c. Tim. p. 3, 14. Plat. Apol. Socr. p. 37. C. *ἀλλὰ χρημάτων καὶ δεδέσθαι ἕως ἂν ἐκτίσῃ*. Licet enim minime negamus, nonnunquam vinculorum poenam reis irrogatam esse, quum Socrates ipse apud Platonem timeat, ne in vincula coniciatur: (Apol. Socr. p. 37, B. *πότιρον δεσμοῦ; καὶ τί με δεῖ ζῆν ἐν δεσμοκτηρίῳ;*) tamen vereor, ne Ulricus¹¹⁾ nimio plus viderit, qui iudicibus liberam vinculis puniendi potestatem tribuit. Nam Lysiae verba c. Andoc. 221. *ὅτι γὰρ παθεῖν* ut de vinculis intelligantur, non necesse est. Et si Demosthenes c. Timocr. 747, 27. queritur, Timocratem lege, qua tulisset, ne publici debitores temere in carcerem conicerentur, iudicia *ἄκροα τῶν προστιμημάτων* facere voluisse: ex hoc ipso loco facile colliges, illam custodiam non tam poenam fuisse a iudicibus impositam, quum pecunia soluta, nisi *κλοπή* esset, ianua ipsa ad exeundum pateret,¹²⁾ quam querelam eorum, quibus severius visum sit iusto diutius in vinculis retineri. Iam Ulricus l. l. ex illo solempni iureiurando, quod legimus apud Demosth. c. Timocr. p. 746, quo iudices se multa facturos, multa non facturos esse, fidem faciunt, neque umquam pollicentur, nolle se quemquam in custodiam ire iubere, colligere videtur, fuisse hoc in iudicum potestate, ut quem vellent libertate privarent. At qui ita sentiunt, velim cogitent, illo iureiurando, sive eam formulam veram et genuinam esse arbitraris, quam Demosthenes l. l. exhibet, (etsi vix ullus esse potest, qui eam non a Grammatico quodam, sed ab homine legum Atticarum non imperito, profectam esse neget,) sive illam mavis, quam duumviri celeberrimi, Meierus et Schömannus, protulerunt,¹³⁾ iudices magis iussos esse, videre, ut magistratus bene civitatem administrarent, tum ne quid fieret, quo patria in discrimen adduceretur, ut denique eam rempublicam incolumem praestare et perpetuam servare vellent, quam Solo instituisset, quam iudicum officiis rite fungi. Nam praeterquam quod se neminem indicta causa velle condemnare, neque a quoquam dona accipere profitentur, nihil in illa formula esse videtur, quod ad iudicandi disceptandique facultatem pertineat. Pollicentur iidem, se neminem contra leges et instituta maiorum in exilium missuros, in carcere vero contra

9) Heffter. p. 376.

10) Tironum causa verba monuisse satis erit, Miltiadem re vera quidem damnatum fuisse, epistata vero prytaum intercedente non in carcerem abductum esse, sed domi mansisse. Hic cum gravi morbo conflictatus paucis diebus post mortuus est. Rem tali modo gestam fuisse patet e Platonis Gorg. p. 516. D. ubi vid. Heindorf. p. 241. quam Coraelius Nepos in Miltiade cap. 7. iusto brevius narravit. Neque Boeckhjus in Oecon. Civil. Athen. T. I. p. 421. loci Platonici fuit memor.

11) Ulric. p. 228. obs. 9.

12) Plat. Apol. Socr. p. 37. C. Dem. c. Timocr. p. 721, 1. adv. Mid. 529, 26. Vid. Interpret. ad Nep. Miltiad. 7. et Cim. 1.

13) Att. Proc. p. 128. obs. 10.

ius fasque retenturos esse non pollicentur. Sed quod Athenienses alterum timebant, alterum vero, quum esset longe gravissimum, non timebant, inde sequi mihi videtur, vinculorum poenam non ita saepe irrogatam esse. Praeterea legitur quidem in ampliori iurisiurandi formula, *ψηφισθαι* iudices, *περὶ ὧν μὴ εἰσι νόμοι, γνώμη τῆ δικαιοσύνη*. At si quis hoc ita interpretari vellet, quasi data esset iudicibus quemlibet in carcerem coniiciendi libera facultas, nonne is omnia videre posse recte diceretur? Quod vero senatores iurciurando cohibendos esse censebant Athenienses, ne temere civibus libertatem adimerent, nescio an eo consilio id fecisse dicantur, quod sciebant non iudices, sed illos ipsos civitatis rectores atque gubernatores hac potestate legibus accepta male uti solere. Vid. Dem. c. Timocr. 747, 16. Quanti vero Athenienses libertatis iacturam aestimaverint, quum hoc servorum esse videretur, civium vero nonnisi data pecunia poenas luere, docet Demosthenes c. Androt. 610, 2. *καὶ μὴν, εἰ θέλοιτε σκέψασθαι, τί δούλον ἢ ἐλεύθερον εἶναι διαφέρει, τοῦτο μέγιστον ἂν εὔροιτε, ὅτι τοῖς μὲν δούλοις τὸ σῶμα τῶν ἀδικημάτων ἀπάντων ἐπεύθυνόν ἐστι, τοῖς δ' ἐλευθέροις, καὶ τὰ μέγιστα τύχωσιν ἀδικοῦντες, τοῦτο γ' ἔνεστι σῶσαι· εἰς χρήματα γὰρ δίκην περὶ τῶν πλείστων παρὰ τούτων προσήκει λαμβάνειν.* cf. c. Timocr. 752, 11. Habebant quidem iudices ex Solonis institutione potestatem eos fures, quos capitis damnare nollent, praeter mulctam legibus constitutam quinque diebus paribusque noctibus vinculis adstringendi. At non, quod in vinculis erant, poena fuisse videtur, quae quum paucorum esset dierum, vix ullum terrebat, ne iterum furaretur, sed multo maior fuit ignominia, quod vincti omnium oculis conspiciendi exponerentur. Ita enim Demosth. c. Timocr. 733, 7. et 736, 12. *προστιμῆσαι δ' ἔξεῖναι τῷ δικαστηρίῳ πρὸς τῷ ἀγρορίῳ δεσμὸν τῷ κλέπτη πένθ' ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας, ὅπως ἄπαντες αὐτὸν δεδεμένον, intelligendum esse censeo.* Etiam si fere omnes in carcerem immissos Athenienses vinculis et catenis constringere solebant, quod quidem non tam e verbis *δέω, δεσμοτήριον* et aliis eorumque prima significatione, sed e vocabulis *δεσμοί, ποδοκάκη, ζύλον* et ex exemplo moribundi Socratis patet: tamen nusquam fere legimus, totam civitatem ad spectandum convocatam esse.

Omnium igitur, ut eo redeamus, unde profecti sumus, qui in vincula dati erant, cura et custodia mandata erat Undecimviris. Eorum igitur erat videre, ne qui clam vinculis se subducerent et fuga salutem peterent, si qui vero elapsi essent, eorum nomina per praecorem publice recitari iubere, et quo confugissent, investigari (Dem. Or. 1. c. Aristog. 787, 17. Dinarch. c. Aristog. 84, 1.); tum curam gerere, ne qui prius in libertatem vindicarentur, quam aut solvissent, quae deberent, aut passi essent, quae iussi essent, neve diutius in carcere retinerentur, quam aut leges aut iudices vellent. Hanc vero curam ab iis tanta acerbitate gestam esse, ut parum interesset, carcere includi et servum fieri, quum tanta crudelitate Athenienses fuisse nusquam legamus, nisi forte republica tempestatibus civilibus vehementer labefactata et penitus concussa et triginta tyrannis imperium Athenis crudeli modo obtinentibus, id ne sequitur quidem ex iis locis, quos Ulricus laudat. 14) Etenim si Socrates apud Platonem Apol. p. 37. C. dicit: *καὶ τί με δεῖ ζῆν ἐν δεσμοτηρίῳ, δουλεύοντα τῇ αἰεὶ καθισταμένη ἀρχῇ, τοῖς*

14) Ulric. l. l. p. 234, 2.

ἔνδεκα; hoc non ita dixisse putandus est, ut servus futurus esse sibi videatur; et si vinciti lege a Demosthene c. Steph. p. 1133, 7—13. servata testamenta facere et heredes nominare vetantur, ea de causa non servi facti sunt. ¹⁵⁾ Timebant Athenienses, ne qui civitatis debitores essent, res suos ad alios transferrent et ipsi se privarent, unde cives damna a malis hominibus accepta resarcirent.

Iam ex iis, quae modo commemorata sunt, sequitur, Undecimviris hoc munus fuisse, ut supplicium de capitis damnatis sumerent. Cf. Lex. Seguer. in Bekk. Anecd. I. p. 192, 19. *περὶ τῶν ἔνδεκα οὗτοι τεταγμένοι ἦσαν ἐπὶ τῶν κατακριθέντων θανάτῳ*. Unde iudices, qui mortis poenam infligunt, dicuntur *παραδοῦναι τοῖς ἔνδεκα*, ¹⁶⁾ malefici vero *παραδοθῆναι*, Undecimveri vero ipsi *παραλαμβάνειν* et *λαμβάνειν καὶ ἄγειν*, Xen. Hell. II. 3, 54. Supplicium vero eo tempore sumendum curabant, quo iudices id sententiis decreverant; cf. Aesch. c. Tim. p. 42. *τεθνάτω αὐθήμερον*; quod si non decreverant, videbant, ut quam primum venenum haurirent, qui mortis damnati essent. At minime aliquem interficiebant diebus festis, ut nave sacra Delum missa vel aliis diebus, quibus triste aliquid accidere religio erat. Vid. Plat. Phaed. p. 58. B. Criton. init. Si denique fides habenda est Dioni Chrysostomo ¹⁷⁾ quem unum auctorem sequimur, quia Athenienses nullam coniunctionem esse volebant inter civitatem et capitis damnatum, atque civem mortis poena afficere extremum malorum esse putabant, nomina eorum, qui morte mulctandi erant, antequam ipsi carnifici traderentur, ex albo civium debebantur. Quod quidem non nisi per Undecimviros factum esse videtur.

Tristissimum igitur ex iis, quae modo disputata sunt, erat munus Undecimvirorum; at longe tristius factum fuisset, si iidem viri secundum instituta Atheniensium ipsi damnatis manus iniicere debuissent. Quod quum vix ingenuis viris et liberrimae reipublicae civibus satis dignum esse videretur, hanc rei tristitiam Athenienses ita mitigaverant, ut, ubi Undecimvirorum auxilio opus esset, eos ipsos quidem interesse oporteret, sed circumdatos satis magno ministrorum, satellitum, pedisequorum numero, per quos *τὰ μετὰ ταῦτα* fieri curarent. Nam si Xenophon ¹⁸⁾ Satyrum, unum ex Undecimviris, ipsum manus in Theramem iniicisse eumque ex altari detraxisse narrat, hoc eidem ita praeter morem et consuetudinem maiorum factum esse videtur, ut id silentio non praetereundum esse censeret. Tanta enim fuit seditiosi hominis crudelitas, tanta in adversarios, licet optimos viros et reipublicae amantissimos, saeviendi cupiditas, ut non dubitaret, servorum, quorum hoc erat, munere et opera fungi. Praeterea hoc factum esse illo tempore scimus, quo rempublicam e republica fere eiectam et civitatem paucorum hominum arbitrio commissam esse optimus quisque

15) Meier. et Schöm. p. 68. obs. 16.

16) Demosthenes in eadem significatione utitur verbo *παραδοῦναι*, nulla addita τῶν ἔνδεκα commemoratione. vid. c. Aristog. I. p. 781. 2. Cfr. Lys. c. Agorat. 490, 16. et adde Boissonad. ad Arist. p. 737.

17) Orat. Rhodiac. p. 611. R. Eorum, qui publica mortis poena mulctantur, *πρότερον τὸ ὄνομα ἐξαλείφεται. τίνος ἔνεκα; ἑνὸς μὲν, ὅπως μήκετι δοκῶν πολίτης εἶναι πάσῃ τι τοιοῦτο, ἀλλ' ὡς δυνατόν ἀλλότριος γεγονώς κτλ.* cf. Meier. de Bon. Damnator. p. 19. obs. 47. a.

18) Xenoph. Hell. II. 3, 55. *ὡς δὲ ταῦτα εἶπεν* (sc. ὁ Κριτίας) *εἶλκε μὲν ἀπὸ τοῦ βωμοῦ ὁ Σάτυρος, εἶλον δὲ οἱ ὑπερέται.*

aegre ferebat. Socrates contra apud Platonem Apol. p. 39. E. se tamdiu cum iudicibus sermones collaturum esse ait, quam in iudicio morari liceret, quum Undecimviri alii negotiis impediti cessarent, neque eum eo abducerent, quo nunc eundum esset. Idem viri Socrati capitis damnato quum vincula solvissent, nunciassent narrantur extremum fatum instare. Plat. Phaed. p. 59. E. Tum Plutarchus Phocionem commemorat Undecimviro intuentem eosque alloquentem et L. Annaeus Seneca (Consol. ad Helv. 13.) in narratione istius turpitudinis, quam homo impurissimus in Aristidem commiserat, quum hic ad mortem duceretur, hunc virum iustissimum inducit subridentem comitanti magistratui, h. e. Undecimviris, eumque dixisse refert: admone istum, ne postea tam improbe oscitet.

Iussa igitur Undecimvirorum fecerunt ministri et satellites, peculiari nomine *παράσταται* dicti. Vid. Lex. Rhet. 296, 32. Erant ii, non minus quam *ὁ γραμματεὺς*, quem vulgo undecimum decem reliquis viris addunt, servi publici. Omnes enim *γραμματεῖς* praeter illos, quos Pollux VIII. 9. 98. nominat, ¹⁹⁾ et *ὑπηρεταί*, quos magistratus, qui *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* habebant, sibi adsciscabant, e servorum numero erant. Qui Undecimvirorum *ὑπηρεταί* sive *παράσταται* fere ubique universi nominantur; si forte unus ex iis, is aut aliunde notus est, aut est tristissimus ille carnifex, quo iubente ultima patiendi instabat necessitas. Nominatur verbi causa unus ex his ministris *ὁ τοῦ δεσμοτηρίου φύλαξ* et *ὁ θυρωρός*. Cfr. Platon. Crit. init. et Phaed. p. 59. E. Carnificis vero ipsius acerbam severitatem mitigabant, eum vulgo appellantes *τὸν ἄνθρωπον*, Plat. Phaed. p. 116. D. *τὸν δῆμιον, τὸν δημόκοιον, τὸν βασανιστὴν*, quippe qui tormentis (*τοῖς ἐργαλείοις δημίου*) servos cruciabat, *τὸν πόρον, τὸν πρὸς τῷ ὀρύγματι*; idem dicitur apud Plat. Phaed. p. 117. *ὁ μέλλων δώσειν τὸ φάρμακον*. Hae omnes loquendi formulae tum ex ea veterum consuetudine derivandae sunt, qua verebantur, ne quid mali ominis temere pronunciarent, ²⁰⁾ tum ex summa Graecorum humanitate, quam latiore illa significatione dicimus, quo Cicero, istius populi rationem secutus, nullum esse dixit vitae tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari. ²¹⁾ Iam per se patet, *τὸν ὑπηρετήν*

19) Heffter. p. 32. §. 2.

20) Plut. Sol. 15. *ὅτι τὸ μὴ λέγειν δόσημα πᾶσι τοῖς παλαιοῖς μὲν φροντὶς ἦν, μάλιστα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, διὰ καὶ τὸ δεσμοτήριον ὄστημα ἐκάλουν κ. τ. λ.* Similiter carcer dicitur *τὸ ἀναγκαῖον* apud Xenoph. Hellen. V. 4, 8 et 14. ubi vid. Schneider., tum ibid. II. 3, 54. *τὰ ἐκ τούτων πράττειν* mortis poenam sumere, *τὸ δημεῖον* locus supplicii. Neque aliter in Platon. Apol. p. 37. C. *καὶ τί με δεῖ εἶναι ἐν δεσμοτηρίῳ, δουλεύοντα τῇ αἰεὶ καθισταμένη ἀρχῇ, τοῖς ἑνδεκα*, si recte viderunt Heindorfius, Schleiermacherus, Bekkerus, qui verb. *τοῖς ἑνδεκα* pro glossemate habuerunt contra nuperrimum editorem Stallbaumium, *ἡ αἰεὶ καθισταμένη ἀρχή* a Socrate dicta esset, ne quid tristius iudices audirent. At e mea sententia Stallbaumius rectiora vidit quam isti Triumviri. Est quidem hoc epexegetico genus et Platoni et aliis probatissimis scriptoribus satis frequens, quod passim gratae negligentiae, passim orationi affectus plenae adscribas. Ad hanc equidem retulerim locum ex Apol. Socrat., tum Criton. p. 48. C. *τούτων τῶν πολλῶν.*, ad illam Lucian. Dial. Meretr. 13, 2. *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι κατεπεπλήγησαν, οἱ λοχαγοὶ καὶ οἱ ταξιάρχοι*. Vid. Krüger. ad Xenoph. Anabas. III. 4, 32. et Jacob. ad Lucian. Toxar. p. 134. qui plures locos e Graecis Latinisque scriptoribus contulit.

21) Vid. de Orat. II. 67, 272. Cfr. de significatione v. *humanitas* in rebus funebribus interpretes ad Petron. c. 44. T. I. p. 684 Burmann.

propterea quod unus interdum nominatur et solus, vel etiam iuxta Undecimviros, quum servus fuerit, non quasi sui iuris fuisse, ita ut sua auctoritate, vel non iubentibus Undecimviris, facere potuisset, quae muneris ratio postularet. Certe hoc non dicit Maximus Tyrius, ²²⁾ qui praeterquam quod alia multa non recte vidit, quum singula singulis in causa Socratica attribueret, τῷ ὑπηρέτῃ ultimum et tristissimum, ut suum munus, tradidit.

Idem hic δῆμιος servos torquebat, teste Aeschine de falsa legat. p. 296, 1. ²³⁾ et quum reliqua omnia iussu Undecimvirorum faceret, hoc quoque ex eorum auctoritate fecisse putandus est. Sequitur quidem ex Dem. c. Nicostr. 1252 sq., si reipublicae intererat, in servos tormentis quaerere, necesse fuisse, ut Undecimviri adessent servorumque testimonia audirent. Quo fit, ut non miremur, Photium τοὺς ἑνδεκα etiam βασανιστὰς nominare.

Atque quae Undecimviris de iis, qui vinculis continebantur et supplicio tradebantur, cura tradita erat et demandata, haec fere fuisse videtur. Iam igitur ad alterum disputationis partem properandum esse arbitramur, qua ostendamus, quae eorum fuerit ἡγεμονία δικαστηρίου.

Magistratus, ἀρχὰς ²⁴⁾, Athenienses eos solos dicebant, quibus in iudiciis aliquis principatus, ἡγεμονία δικαστηρίου, lege datus erat, h. e. ea potestas, qua post litem auditam, acceptam et contestatam, admissis testibus, servis tortis tabulisque inspectis iudiciis praecerant eamque ita narrabant, ut iudices audito actore et reo sine ulla difficultate vel disceptatione aut absolvere possent aut condemnare. ²⁵⁾ Summam enim et ultimam iudicandi auctoritatem in populo plurimisque ex eo electis iudicibus esse voluerunt. Recte enim Lyeurgus universam civitatem magistratibus, iudicibus hominibusque privatis contineri dicit. ²⁶⁾ Quot vero magistratus Athenis erant, quos scimus fuisse plurimos, tot quoque actoribus patebant viae reos ad iudices rapiendi. Saepe igitur dubitabant Athenienses, quem e magno magistratum numero in auxilium vocarent, si quem haberent, cui diem dicere vellent. Id vero modo molestum videtur oratoribus, modo utilissimum. Dem. c. Lacrit p. 940, 5. c. Androt. 601, 16. Si igitur Undecimviri magistratus erant ea, quae apud Athenienses valebat, consuetudine, necesse fuit, ut suam haberent iurisdictionem. Quae non potuit non cognationem quandam habere cum reliquis, quae pro muneris ratione modo explicata ab iis agenda erant. Etenim errat Heraldus, ²⁷⁾ qui magistratus eos fuisse docet, quibus executio iudiciorum publicorum mandata fuerit, sed aliam etiam nonnullam illis competere iurisdictionem addit, quam quae ad illam executionem spectaverit.

22) Dissert. 9. cap. 2. p. 152. ed. Reisk. Σωκράτην τοῦτον Μέλιος μὲν ἐγράψατο, Ἄντιος δὲ εἰσήγαγε, Λίχων δὲ ἐδίωκε, κατεδίκασαν δὲ Ἀθηναῖοι, ἔδισαν δὲ οἱ ἑνδεκα, ἀπέκτεινε δὲ ὁ ὑπηρέτης.

23) Add. Jacobs. ad Achill. Tat. p. 904.

24) De ἀρχαῖς et discrimine, quod inter eos et ἐπιμελείας, διακονίας et δηροσίας statuendum sit, docte disputaverunt Hefsterus l. l. p. 17. et Boeckhius Oeconom. Civil. Athen. T. I. p. 170. Augetur quidem difficultas, quod iudices nonnunquam ταῖς ἀρχαῖς adnumerantur.

25) Voemel. de Heliaca. (Progr. Francof. 1822.) p. 12.

26) Lyeurg. in Leoer. p. 191. R. τρία γὰρ ἔστιν ἔξ ὧν ἡ πολιτεία συνέστηκεν, ὁ ἀρχων, ὁ δικαστής, ὁ ἰδιώτης.

27) Heraldus Animadvers. in Salmas. observ. ad I. A. et R. IV. 7, 3.

Haec Undecimvirorum ἡγεμονία δικαστηρίων ad duo potissimum capita referenda est, ad ἀπαγωγὴν et ad ἐρηγήσιν.

Ἀπαγωγή erat comprehensio hominis malefici eiusque deductio ad Undecimviros, qui eum in vincula coniici iuberent. cf. Ulpian. ad Dem. c. Timocr. 389, 48. Ed. Lutet. ἀπαγωγή δέ ἐστιν ἡ τῶν κακούργων πρὸς τοὺς ἕνδεκα παράδοσις. Poll. VIII. 49. ἡ δὲ ἀπαγωγή, ὅταν τις ὄν ἐστιν ἐνδείξασθαι μὴ παρόντα, τοῦτον παρόντα ἐπ' αὐτοφώρῳ λαβὼν ἀπάγει, addito libello, in quo crimen perscriptum legebatur, cuius reus accusabatur, quem et ipsum ἀπαγωγὴν nominabant. Quo fit, ut, quum ἀπάγειν, ut Latinorum vocabulum *ducere*, (Cic. Verr. II. 12.) significet quoque *ad mortem ducere*, cautio adhibenda sit, ne cum actione ἀπαγωγῆς temere permutetur.

Probabile est plerumque necesse fuisse, ut reus in re manifesta, ἐπ' αὐτοφώρῳ, deprehensus sit. Nam praeterquam quod haec Pollucis sententia est, qui hoc potissimum inter ἀπαγωγὴν et ἐνδείξιν interesse vult, quod omnium criminum, quae ἀπαγωγῆς actionem admittant, ea sit natura et conditio, ut maleficus in ipsa re deprehendi possit, iam ipsa rei indoles hoc postulare videtur. Non temere enim quemquam tantam crudelitatis invidiam in se suscepturum fuisse arbitramur, quam vix vitasset, si Undecimviri hominem accusatum, de cuius tamen crimine non satis inter ipsos constaret, in custodiam tradere nollent. Quamquam ex vexatissimo illo loco Lysiae c. Agorat. p. 138, 4. Steph., cui ne egregia quidem Sluiteri eruditio in Lectt. Andoc. p. 254 sq. lucem affundere valuit, tum ex Meieri quoque et Schömanni iudicio ²⁸⁾ sequi videtur, additamentum ἐπ' αὐτοφώρῳ non ita necessarium fuisse, ut in unaquaque ἀπαγωγῆς formula legeretur. Sed fortasse omnem Hefsteri ²⁹⁾ doctrina sustulit controversiam, id affirmantis, verba ἐπ' αὐτοφώρῳ ξυλλαμβάνειν non esse in re manifesta deprehendere, sed tot tantaque argumenta colligere, ut neque de crimine ipso, neque de eo, qui crimen commiserit, possit dubitari. Quo fit, ut nulla reliqua sit disceptatio, nisi utrum recte fecerit reus, an non. ³⁰⁾

Actionem ἀπαγωγῆς Athenienses e legibus suis omnibus κακούργοις intendebant. Κακούργοι vero prima significatione sunt, quicumque contra leges fecisse dicuntur, quare Antiphon. de caede Herod. 713, 9. Undecimviros τοὺς ἐπιμελητὰς τῶν κακούργων nominat. Cf. praeterea eundem de caede Herod. p. 707, 9. 683, 3. Angustiori significatione hoc nomine comprehendunt τοιχωρόχοι, qui mures perfodiunt et vi adhibita in domos irrumpunt, κλέπται, fures: (cfr. Dem. c. Timocr. 733, 9—12. et 735, 28 sq. εἰ μὲν τις μεθ' ἡμέραν ὑπὸ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτει, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα εἶναι· εἰ δὲ τις νύκτωρ ὁμοῦν κλέπτει, τοῦτον εἶναι καὶ ἀποκτεῖναι καὶ τρώσσει διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα εἰ βούλοιο), tum λωποδύται, qui in balneis vestes surripiunt, τυμβωρόχοι, qui in sepulcra irruunt, denique ἀνδραποδισταί, qui ingenuos homines in servitatem vendunt aut mancipia dominis suis detrahunt, (vid. Suid.

28) Meier. et Schömann. p. 228. obs. 52.

29) Hefster. p. 494. obs. ad v. 205.

30) Meier. et Schömann. p. 227. Aliam in h. l. explicando viam nuperrime Bremius ingressus est in annotatione huic orationi subiecta p. 118., qui, ut constructio loco suo constet, post ἡ addendum esse ἡ censet, ad quod referantur optativi ἀποκτείνετε et γένοιτο.

v. ἔνδεκα), et, si Heraldum sequimur, totum praedonum genus, ἄρπαγες, λησταί, ἱερόσυλοι, qui fana et delubra spoliant, praecipue si crimen magis ad ἀσέβειαν, quam ad peculatum pertinebat ³¹⁾, βαλαντιότομοι, qui non aperta vi, sed calliditate quadam et arte furantur, γοῆται, qui magicas artes exercent et alii. Praeter hos ἀτίμους omnes, qui in locis reperiebantur, a quorum aditu ἄτιμοι intercludebantur, et homicidas ad Undecimviros rapere per leges licebat. In universum igitur animadvertendum est, actionem ἀπαγωγῆς datam esse a legibus contra omnes, qui, quum accusati essent, vitae periculum subirent.

Iam vero reis obtorto collo ad Undecimviros raptis, disceptabatur, utrum recte et secundum leges instituta esset haec actio, an non. Quam si recte factam esse censuerant, (quod erat ἀποδέχασθαι τὴν ἀπαγωγὴν. Lys. c. Theomn. p. 350.) accusati aut confitebantur, aut plane negabant, aut recte se fecisse contendebant. Rei confessi statim ad mortem deducebantur, auctore Polluc. VIII. 102. εἰ μὲν ὁμολόγοιεν θανατώσοντες, εἰ δὲ μὴ εἰσάζοντες εἰς τὰ δικαστήρια. Si vero ad iudicium sententias provocabant, Undecimviri illos ipsos in custodia retinebant, rem vero iis iudicibus tradebant, quorum de ea erat iudicare; (in qua re formulae erant solemnes εἰσάγειν τὴν δίκην εἰς τὸ δικαστήριον, τὴν ψῆφον δίδοναι τοῖς δικασταῖς) ³²⁾ damnatos vero iterum accipiebant. Sin autem ἀπαγωγῆς actionem Undecimviri omnino non accipiebant, aut si quid falsi in libello esse suspicabantur, aut si de hac re iudicari sibi per leges non licere arbitrabantur, se reum persecuturos esse negabant eumque ἀφιέναι declarabant. Absoluto reo si actor ne quintam quidem suffragiorum partem tulerat, ut in omnibus aliis causis, ita in hac quoque et in ἐφηγήσει, quae statim commemorabitur mille drachmis mulctabatur et eo ἀτιμίας genere, ut nunquam hanc actionem iterum instituere liceret.

Atque ex hac disceptandi facultate intelligi potest, cur Athenienses Undecim viris hanc potestatem tribuerint. Fuisse enim nonnisi decem, ex singulis tribubus unum iisque undecimum additum fuisse scribam, non facile quisquam nobis persuadebit. Nam auctor Lex. Rhet. 250, 7. ἔνδεκα τίνες εἰσι; κληρωτοὶ ἄρχοντες ἦσαν, ἔνδεκα τὸν ἄριθμον et Etym. M. v. ἔνδεκα: κληρωτοὶ ἄρχοντες ἦσαν οὗτοι undecim quidem viros fuisse tradunt, sed de undecimo eoque scriba nihil addunt. Apud solum Pollucem VIII. 102. haec verba leguntur: οἱ ἔνδεκα, εἰς ἀφ' ἐκάστης φυλῆς ἐγένετο καὶ γραμματεὺς σνηριθμεῖτο: qui quidem singulis tribubus suum assignans Virum Capitale non habet ad quam referat undecimum. Qua de re hunc contempto fere scribae munere functum esse dicit et eum servum facit. Sed scribae, qui in ὑπηρετῶν numero habebantur ³³⁾ nusquam neque Romae neque Athenis una cum magistratibus suis nominantur: tum si cui scriba commemoratione dignus esse videbatur, cur quaeso, carnificem, cuius munus longe gravius est, cur praeconem duodecimum virum illi numero adiungere nolunt? Sed quum decem Poletae fuerint, decem Apodectae, decem Logisti, decem

31) Meier. et Schöm. p. 361.

32) Vid. Stallbaum. ad Plat. Apol. Socr. p. 139.

33) De his scribis ὑπηρέταις, quorum munus paullo contentius erat, vid. Wesseling. ad Petit. Leg. Attic. p. 342. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 384. Boeckh. Oeconom. Civil. Athen. T. I. p. 201. et Goeller. ad Thucyd. VII. 10. Add. Freinshem. ad Flor. I. 10.

Euthynae, decem στρατηγοί, alii, qui aliquam rerum Atheniensium cognitionem sibi habere videbantur, decem quoque ultimae necessitatis magistratus esse voluerunt. Qui vero propterea quod decem tribus Atheniensium erant, unum virum e numero Undecimvirorum tollere conantur, ut tot sint viri, quot tribus, ii omni tempore Decemviros in Atheniensium rempublicam introducant et quasi inculcent necesse est, totam historiam, quae decem tribus a Clisthene institutas praecedat, non mediocriter perturbatur. Oportet enim illos, opinor, demonstrare, eos, qui Decemviri post Clisthenem fuerint, ante hunc reipublicae instauratorem fuisse Quatuorviros.

Accedit ultimo loco illa Atheniensium consuetudo, e qua in singulis iudiciis iudicum numerum nunquam parem esse volebant. Cuius rei causa quum haec fuisse videatur, ne quando paria suffragia dubitationem relinquerent, quid iudices iussissent, quid non, inde multo fit probabilius, illos in Undecimviris, quippe quibus libertatem civium, vitam remque familiarem commississent, simile quiddam voluisse. Iussit scilicet Draco esse quinquaginta Ephetas et unum. Et in omnibus iudiciis apparet, rotundum illum iudicum numerum, quem brevitatis studio institutum fuisse vulgo dicunt, uno iudice fuisse maiorem.³⁴⁾

Undecimviri iudicium exercebant in Parabysto, qui locus viridi fortasse colore erat distinctus. (Paus. I. 28, 8. βατραχιῶν³⁵⁾ Tum Harpocrat. παράβυστον· οὕτως ἐκαλεῖτό τι τῶν παρ' Ἀθηναίους δικαστηρίων, ἐν ᾧ ἐδίκαζον οἱ ἑνδεκα. Pollux. VIII. 121. γνώριμα δικαστήρια... Μέσον, Παράβυστον, Μείζον. Παράβυστον δὲ καὶ Μείζονος μέμνηται Λυσίας. ἐν μὲν τοι' τῆ Παράβυστῳ οἱ ἑνδεκα ἐδίκαζον, aut ut Voemelius l. l. p. 6. observ. 6. legere mavult: Μέσον, Παράβυστον (Παράβυστον δὲ καὶ μείζονος μέμνηται καὶ Λυσίας)· ἐν μὲν κτλ. At unum tantum Parabyston erat (cf. Taylor. ad Dem. in Timocr. p. 720, 15.) et situm in abscondito urbis loco. Hinc Suidas v. Ἄρκος — παράβυστῳ· ἀντὶ τοῦ ἐν ἀποκρύφῳ. Sic quoque Schol. ad Lucian. Nocyom. 17. verba ἐν παράβυστῳ που explicat: ἐν παρακεκρυμμένῳ, σκοτεινῷ, μικρῷ, ἀφρηγῆ, παρακεκαλυμμένῳ, λάθρα γενομένῳ.³⁶⁾ Sed praeter ceteros audiendus est Pausanias I. 28, 8. ἔστι δὲ Ἀθηναίους καὶ ἄλλα δικαστήρια οὐκ ἐς τοσοῦτο δόξης ἤγοντα. τῶν μὲν οὖν καλουμένων Παράβυστον καὶ Τρίγωνον, τὸ μὲν ἐν ἀφανεί πόλεως ὄν καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνιόντων ἐς αὐτό. Ex hac loci opportunitate rectius nomen derivandum esse videtur, quam quod Undecimviri in illo iudicio clam iudicavisse dicuntur, quod Etym. M. suadet: ἦν δὲ καὶ Παράβυστον δικαστήριον, ὃ λάθρα ἔχρινε. Hoc enim cum ab omni more et consuetudine Atheniensium quam maxime abhorret, tum in loco Demosthenis c. Timocr. p. 715, 20. ἐν παραβύστῳ — λάθρα τὸν νόμον εἰσήγαγε, quamquam Ulpianus ad h. l. et Harpocrat. interpretantur, ut idem, esse, quod λάθρα, ieiuna haec et prorsus inanis repetitio vix Demosthenis esse potest.

34) Heffter. p. 47, 55 sq. Meier. et Schöm. p. 140, Schömann. de sortit. iudic. p. 25.

35) Heffter. p. 53, 5. etsi Meier. et Schöm. l. l. p. 146. haec duo fuisse iudicia inter se diversa affirmant.

36) Hemsterhusius ad h. l. T. III. p. 409. Lehmann. interpretatur παραβύσειν in angulum aliquem infuleire, ut a conspectu et oculis removeas. Accedit quod apud Lucianum eiusdem verbi atque compositorum haec est potestas, ut de rebus dicatur atque verbis, quae praeter modum et extra consuetudinem inculcantur, atque risum ea de causa efficiunt. Vid. Piscat. 12. De Merc. Conduct. 32. al.

Nec est quod miremur, quomodo Timocrates, senatu misso civiumque multitudine ad diem festum celebrandum effusa in iudicio legem suam ferre potuerit. Alia tamen ex loco Pausaniae modo laudato inde nascitur difficultas, quod ad causas minimas et levissimas disceptandas, ἐπ' ἐλαχίστοις, iudices eo convenisse tradit, nec facile quisquam res Undecimviro- rum capitales minimas fuisse nulliusque fere ponderis contendat. Qua de causa Hestherus 37) locum ita expedisse sibi visus est, ut verba ἐπ' ἐλαχίστοις de minore iudicum numero explicet, qui in Parabyston convenerit, cum contra in Heliaeam maximam iudicum numerum confluisse idem Pausanias assermet non multo post verbis ἐς ὃ οἱ πλείστοι συνίασι. Sed vereor ne ab omnibus probetur.

Haec de Apagoge ad Undecimviros. Memorantur quidem praeter hanc aliae, v. c. ἀπαγωγὴ κακώσεως ὀργάνων ad Archontem, ἀσεβείας ad Regem, συγκοφαντίας ad Thesmothetas, μειοικίου ad Poletas. Quae vero quum non ad Undecimviros pertineant, verba attigisse satis est.

Alia ἀπαγωγῆς ratio erat ἢ ἐφήγησις. Etenim ubi actorem vires deficiebant et robur ideoque imbecillio- rem se esse sentiebat, quam ut reum obtorto collo ad Undecimviros raperet, adibat hos magistratus eosque, loco indicato, ubi adversarius deprehendus esset in re manifesta, vel ubi absconditus lateret, rogavit, ut ipsi eum per ministros suos ad se adduci iuberent. Poll. VIII. 50. ἐφηγεῖσθαι δέ ἐστιν, ὅταν τις δι' ἀσθένειαν ἀπάγειν οὐ θαρσύνων ἐπάγει τὸν ἄρχοντα ἐπ' οἰκίαν οὗ τις τοῦτων ἀποκρύπτεται. cf. Dem. II. c. Aristog. 803, 15. c. Androt. 601, 19. 38) Ceterum non minus quam in ἀπαγωγῆς actione Undecimviro- rum

- 37) Hesther. p. 60. Ex mea sententia haec verba Pausaniae de minori iudicum numero intelligi nequeunt. Obstat enim graeci sermonis ratio, e qua ἐπ' ἐλαχίστοις sic absolute positum modo per voc. πράγμασι explicari potest. Rectius quidem v. δίκαις apud mentem intellexeris; sunt vero in hoc generis neutrius usu, qui maxime cernitur in pronomi- nibus demonstrativis (cfr. Jacobs. ad Achill. Tat. p. 543. Krüger. ad Dionys. Historiogr. p. 22.), paullo liberiores et poetae et prosarii scriptores Graecorum. Vid. Plat. de legg. XI. p. 537. D. καὶ δὴ καὶ δίκη πῶς οὐ καλὸν, ὃ πάντας ἡμέρωζε τὰ ἀνθρώπινα. Xenoph. Anab. III. 2, 22. εἰ δὲ ταῦτα μὲν γινώσκετε ὅτι οὕτω κρείττονα, τοὺς δὲ ποιητοὺς ἄπορον νομίζετε εἶναι ἢ γ. ἄπορον ζῆμα. De poetis unum Schaeferum laudasse sufficiat ad Theocrit. p. 219. Iam igitur verba Pausaniae de loco intelligo, qui per se iam obscurus atque in nullo honore ab iis, qui erant in urbe (οἱ συνιόντες ἐκ τῆς πόλεως) modo rarissime (in den allerwenigsten Fällen) visebatur, sive ob spectaculi turpitudinem sive ob nimium, quod inter ipsum atque forum interiectum erat, intervallum. Hic usus praepositionis ἐπὶ non multum a solita dicendi ratione abhorret. Vid. Eurip. Iphig. Aul. 542. ὡς ἐπ' ἐλαχίστοις δακρύοις πρόσσω κακῶς. cfr. Matthiae Grammat. Graec. T. II. p. 1167. Idem fere esset τοὐλάχιστον apud Lucian. de Mercede Cond. 14. Sunt tamen, hac quoque explicatione admissa, quae me male habeant in loco Pausaniae idque inprimis, quod idem scriptor de Heliaeae, Palladio, Delphinio aliisque iudiciis paullo uberius agens Undecimviro- rum nullo loco disertam fecerit mentionem. Quid de h. l. Siebelisius statuerit, addere non possumus, quum hac editione careamus. Tum is, qui nuper res antiquae Graeciae amplo commentario illustrare coepit, Krusius, Pausaniae locum quidem commemoravit, (T. II. P. 1. p. 139.), explicationem vero adiciere omisit.
- 38) Non permutanda est haec ἐφήγησις cum ἐφηγήσει, quod factum esse apparet in Etym. M. 403, 23. a Photio, Suida, Zonara. Hanc explicat Lex. Rhet. 312, 31. ἐφήγησις δίκη ἐστὶν εἰσαγομένη — ἢ ὅταν τῶν δημοσίων τι κατέχειν τις δοκῆ κρύβει. Vid. Meier. et Schömann. p. 246.

suffragia decernebant, utrum admittenda esset Ephegesis nec ne. Quae si admittebatur, inter hanc agendi rationem et illam nihil interfuit.

Haec fere erat Undecimvirorum ἡγεμονία δικαστηρίων. Qui si in aliis nonnunquam nominantur actionum generibus, ut in ἐνδείξει et in εἰσαγγελίᾳ, primum observandum est, utrumque verbum non ubique significatione angustiori, ut proprium significetur actionum genus, sed significatione paullo ampliori de quolibet, quod indicatur, crimine usurpari. Ἐνδείξαι enim et εἰσαγγέλλειν promiscue dicuntur, qui ad magistratus quidpiam contra leges factum esse deferant, poenamque a scelerato sumendam esse poscant, quod proprie est μὴνύειν et μὴνυσις.³⁹⁾ Deinde cum ἐνδείξις et ἀπαγωγὴ vel etiam ἐφήγησις inter se cognatae esse videantur, qua re Meierus et Schömannus de iis una agendum esse censuerunt, non est quod miremur, veteres ipsos haec duo vocabula inter se permutasse. Quod factum esse apparet et e loco Antiphontis de caede Herod. p. 107, 6; tum Grammatici orationem a Lysia contra Agoratum περὶ ἐνδείξεως habitam esse tradunt, quae melius de ἀπαγωγῇ φόρου inscripta fuisset. Si denique in utraque accusandi forma reos in vincula coniectos esse scimus eosque igitur in Undecimvirorum potestate fuisse recte dicimus, non est, quod de munere eorum dubitemus, reos, ne indicta causa iusto diutius in carcere retinerentur, legitimo tempore, h. e. intra triginta dierum spatium, coram iis magistratibus, qui considerata criminis natura εἰσαγωγεῖς erant, in iudicio sistere. Ad hanc ἀνάκρισιν ea redeunt, quae Ulricus ex Demosth. c. Timocr. p. 270. 17. (cf. 733, 12.) collegit.⁴⁰⁾

Iam ad haec, quae hucusque a nobis disputata sunt, quamvis fere omnia iis enumerata esse videntur, qui in illa auctoritate subsistendum esse putent, quae Undecimviris ut victorum supplicioque afficiendorum hominum custodibus ab Atheniensibus attributa fuerit, tamen adiicienda sunt, quae his magistratibus de bonis damnatorum et fiscalium debitorum data fuerit vis atque auctoritas. Sed quum de hac re Meierus separatim et doctissime quidem egerit, hic modo gravissima capita adiecit satis habemus. Conficiebant enim indicem bonorum publicorum nonnunquam Demarchi, aliquando etiam Undecimviri. Sed non habemus, quem in re difficiliori sequamur praeter Etym. M. 338, 35. εἰσῆγον δὲ καὶ τὰ ἀπογραφόμενα χωρία, οἰκίας, καὶ τὰ δημόσια εἶναι δόξαντα παρεδίδουν τοῖς πωληταῖς, quae verba ut recte intelligi possint, fecit acuta Sluiteri emendatio, qui pro pervulgato πολίταις legit πωληταῖς.⁴¹⁾ Verba tum a Meiero ex coniectura ita sunt restituta: εἰσῆγον δὲ καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν ἀπογραφομένων χωρίων, οἰκιῶν.⁴²⁾ Extra ordinem, republica civilibus tempestatibus turbata, hoc munus obserebatur συλλογεῖσιν et ζητηταῖς, non perpetuis iis magistra-

39) Meier. et Schömann. p. 239. 261. Non aliter apud Latinos vindicare. Vid. Digest. XXIX. 5. fr. 26. Quaesitum est quum necem Caii Seii heredes eius non vindicarint, an Titius nihilominus eos heredes ut indignos accusare possit ob id, quod necem eius non iudicaverint. Cfr. BALLHORSTI librum: *Philologisch-juristische Studien*. I. p. 193. sq.

40) Ulricus p. 250. Meier. et Schömann. p. 74.

41) Lect. Andocid. p. 258.

42) Meier. I. I. 209, 166.

tibus, sed ad tempus creatis. Miramur, unde factum sit, ut Athenienses hoc quoque officium, quod a reliquis, quae pro muneris ratione ab Undecimviris agenda erant, prorsus alienum fuisse videtur, ad eosdem detulerint, quo suscepto non potuerunt non in multorum hominum invidiam incurrere. Nam quod Blumius dicit, ⁴³⁾ illos non nisi in bona capitis damnatorum inquisivisse, hoc paullo ingeniosius excogitatum, quam argumentis firmiter confirmatum esse dixerim. Ut ut est, subsistendum esse putamus in verbis Grammatici. Quum igitur contra honorum proscriptiones, ἀπογραφὰς, quae contra leges factae essent, data esset propria quaedam actio, eodem nomine ἀπογραφῆς appellata, ut scilicet iudicibus probaretur, rem a Poletis vel Zetetis vindicatam non esse damnati, sed alterius potius cuiuscunque: de hac re Undecimviri iudices in suffragia mittere solebant.

43) Prolegom., ad Demosthenis Oration. Timocr. p. 20.